Theodosius Magnus et Pacatus: Selecta de Religione Decreta

ἐν Migne: Patrol. Latina v. 13. Σ. 530 - 531

Lib. XV. Tit. VII. De Scenicis.

Imppp. Theodosius, Arcadius et Honorius AAA.

Rufino Pf. P.

Si qua in publicis porticibus vel in his civitatum locis, in quibus nostrae solent imagines consecrari, pictura pantomimum veste humili et rugosis sinibus agitatorem aut vilem offerat histrionem, illico revellatur, neque unquam posthac liceat in loco honesto inhonestas annotare personas. In aditu vero circi, vel in theatri proscaeniis ut collocentur, non vetamus. §I. His illud adjicimus, ut mimae, et quae ludibrio corporis sui quaestum faciunt, publice habitu earum virginum, quae deo dicatae sunt, non utantur, et ut nulla femina, nec puer thymelici consortio imbuantur, si Christianae religionis esse cognoscitur.

Dat. III Kal. Jul.

Heracleae,

Arcadio A. III, et Honorio A. II, Coss. (394).

ΑΚΑΔΗΜΙΑ ΑΘΗΝΩΝ

Lib. XVI. Tit. I. De Fide Catholica.

Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius AAA. ad

Auxonium proconsulem Asiae.

Episcopis tradi omnes ecclesias mox jubemus, qui unius majestatis atque virtutis Patrem et Filium et Spiritum Sanctum confitentur, ejusdem gloriae, claritatis unius, nihil dissonum profana divisione facientes, sed trinitatis ordinem, personarum assertionem et divinitatis unitatem; quos constabit communione Nectarii episcopi Constantinopolitanae Ecclesiae, Timothei necnon intra Aegyptum Alexandrinae urbis, episcopos esse sociatos; quos etiam

(ἀκολουθεῖ)

in Orientis partibus Pelagio episcopo Laodicensi et Diodoro episcopo Tarsensi; in Asia necnon proconsulari atque Asiana diocesi Amphilochio episcopo Iconiensi et Optimo episcopo Antiocheno; in Pontica diocesi Helladio episcopo Caesariensi et Otreio Meliteno et Gregorio episcopo Nysseno, Terennio episcopo Scythiae, Marmario episcopo Marcianopolitano communicare constiterit. Hos ad obtinendas catholicas Ecclesias ex communione et consortio probabilium sacerdotum oportabit admitti: omnes autem, qui ab eorum, quos commemoratio specialis expressit, fidei communione dissentiunt, ut manifestos haereticos ab ecclesiis expelsi, neque his penitus posthac obtinendarum ecclesiarum pontificium facultatemque permitti, ut verae ac Nicenae fidei sacerdotia casta permaneant, nec post evidentem praecepti nostri formam malignae locus detur astutiae.

Dat. III Kal. Aug.

Heraclea

Eucherio et Syagrio Coss. (381)

ΑΚΑΔΗΜΙΑ ΑΘΗΝΩΝ